Edita est haec vita in calce Synhodi Amerinae, idq; juxta correctiones, quas Gratiani manu hic vides.

Quo tempore Diocletianus Imperator, ad extinguendum supplicijs, malisq; subigendum christianum nomen; aut adeo ad illustrandam egregijs fidei, constantiae, fortitudinis exemplis, christianam pietatem, peruicaci, atq; efferato animo incubuerat, Firmina Virgo Romana, clara Pisonum gente prognata, cuius pater Calphurnius praefecturae Vrbis honore ~~pro~~ fulgebat, Agoliani octauo ab Ameria lapide procul suorum splendore, atq; amplitudine uitam ~~prope~~ in solitudine ~~modestiae~~ humili, ac tenui cultu, uictuq; agebat. Nam a prima aetate Iesu christi amore incensa, non paternis solum opes ~~spreuerat~~ contempserat, paternis solum opibus spretis, sed humanarum rerum omnium abiecta cura, ab Vrbe ~~in eu locum~~ secesserat, atq; ~~ibi~~ obscuro in uico unis christianae religionis studijs ~~dedita~~ dedita, in ijs se se assidue exercebat, assiduequ; in coelestium rerum meditatione uersabatur. Quod cum delatum Ameriam ad Olympiadem uirum consularem esset, qui prouinciam cum imperio habebat, et ex auctoritate, edictoq; Imperatoris, christianos studiose perquisitos, proposita mortis poena, parere legibus, eiurare christiana sacra, et sacrificare Dijs adigebat, misit qui Firminam ad se uenire iuberent, et ~~tamen eam~~, quod patris, ac familiae dignitas postulare uidebat.